



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

L. Ne clerici, vel monachi secularibus negociis se immisceant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

rum actione humiliter, & deuotè recipiunt. Alioquin quæ constitutiones sententiæ à talibus, seu eorum iussu mandatu promulgatæ erūt, inritæ & inaneis habentor, nullo tempore valento. Qui aduersum hæc admiserint, donec satisfaxint, etiam post regiminis sui tempus, eorumque successores ni intra mēsem satisfaxint, ecclesiastica censura conclusi manento. Sic qui in honore substituetur in onere succedito.

Prælati tamen nullum Romanæ, suæve ec-<sup>2. Perue-</sup>clesiæ nomine, aut alio modo à murorum vigi-<sup>nit.</sup>liis, cū ciuitatem custodiri oportebit, excusari patiuntor. Omnes ad hoc generaliter compelluntor.

Iidem prælati vt procuracionem, seruitiū-<sup>8. Quia</sup>ve legato, seu aliis impendant, à subditis plus, <sup>plerique.</sup>quàm soluent, ne exiguntor. in eorum damnis lucra ne sectantor, néve prædam in subiectis queruntor. Qui præsumperit extorta restituito. Tantundem pauperibus elargitor. Superior, apud quem querela deposita erit, si negleget exequi, canonicæ ultioni subiacteto.

*Ne clerici, vel monachi secula-  
ribus negociis se immi-  
scent. Tit. 50.*

**M**onachi, clericive lucri causa ne negociã-<sup>6. Secundò.</sup>tor. proinde vt nec laici ecclesias ad firmã, ita nec monachi à clericis, laicisve suo nomine firmas quaslibet habentor. Si quis quid eorum faxit: anathemate feritor.

Ne cle. vel mona. sec. neg. se immi.

7. *Relatū* Quòd si cuius monasterii monachi seculariter viuent, & alios exemplo suo conrumpent: ad obseruantiam regulæ compelluntur. Si temerè resistunt: his eiectis alterius ordinis fratres in id monasterium ( si non in suo ordine reformari poterit ) inducuntur. Sic impiorum labores iusti edunto. Ad sui ordinis obseruantiam reuerti coguntur.

1. *Multa sunt.* Nemo enim deo militans negociis secularibus se implicato. In his autem & hæc habentor. Si quis plus iusto adpetet: id turpe lucrum esto. Si munera iniusta accipiet, dabit, si pro seculari quæstu aliquem pretio conduxet, si contentiones, lites, rixasve amabit, si in secularibus tribunalibus, nisi pro pupillorum, aut viduarum defensione disputabit, si conductor secularium rerum, procuratorve erit, si turpis verbi factiue ioculator erit, aut iocum secularem diliget, si aleas amabit, si ornamentum proposito suo inconueniens quæret, si in deliciis viuere volet, si gulam & ebrietatem sequetur, si pondera iniusta mensurasve habebit, si negocium iniustum exercebit, si canes, & aues ad venandum sequetur, si quibus causis frustraneis intererit: hæc, & similia ministris altaris dominici, ac monachis interdicta sunt.

8. *Sicut.* Hæc vt seruentur, episcopi clericis sibi subditis imprimis tabellionatus officium per beneficiorum subtractionem adpellatione postposita interdico.

2. *Sacerdotibus.* Deinde sacerdotibus, & clericis suis, ne ministris laicorum fiant, neque in rebus eorum procurato-

res existant, publice denunciato. Qui si faxint, & occasione administrationis ipsius propter pecuniariam causam in fraude deprehendantur: illis ab ecclesia ne subuenitor.

Nemo itaque clericorum procuraciones vilarum, iurisdictionesve secularibus sub principibus, & secularibus viris, vt iuridicus eorum fiat, exerceto. Si quis aduersus hæc seculariter aget: ab ecclesiastico ministerio alienator. Si quis autem religiosorum aliquid eorum adtentasit: districtius punitor. 4. Sed nec

Clerici enim in sacris ordinibus constituti iudicium sanguinis ne exercento. Truncationes membrorum per se ne faciunt, neque inferendas iudicant. Qui faxit honore & loco priuator. Vnde nemo sacerdos vicecomitis, præpositiue secularis officium habeto. Si quis contrauerit, ni commonitus emendabit, excommunicationi subiaceo. 5. Clericus

Denique sententiam sanguinis nemo clericus dictato, proferto, neque sanguinis vindictam agitato, aut vbi agitabitur interesto. Si quis hac occasione ecclesiis, ecclesiasticisve personis dispedium aliquod intulerit: per censuram ecclesiasticam compescitor. Clericus literas pro vindicta sanguinis destinandas ne scribito. hæc cura in curiis principum laicis committitor. Nemo clericus ruptariis, quos vocant, aut balistariis virisve sanguinū huiusmodi præficitor. hypodiaconus, diaconus, sacerdosve chirurgiæ artem, quæ adustionem, incisionemve inducet, ne exerceto. Nemo purgationi aquæ feruentis, aut 9. Sententiam.

Ne cler. vel mon. sec. neg. se imm.

frigidæ, ferrive candentis ritum cuiuslibet benedictionis, aut consecrationis impendito. Monomachia nihilominus vt ante prohibitæ sũto.

3 *Nõ ma-  
gnopere.*

Immo nemo post votum religionis, & emissam in loco religioso professionem ad physica, legesve mundanas legudas exito. Si quis exierit ni ad claustrum suum intra duum mesium spatium redibit, vt excommunicatus ab omnibus vitator. In nulla causa, si patrociniũ præstare volet, auditor. Reuorsus in choro, capitulo, mensa, & ceteris vltimus fratrum esto. Spem totius promotionis, absque sedis apo. misericordia amittito.

10. *Super  
specula.*

Tales autem sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt. Tam à diocesanis, & capitulis ipsorum, quàm cæteris episcopis, quorum in diocesibus studebunt, excommunicati, & prædictis pœnis obnoxii publice nũciantor. Hæc ad archidiaconos, decanos, plebanos, præpositos, cantores, & alios clericos personatus habentes etiam presbyteros (ni ab his intra præscriptum spatium cessassint) extenduntor, seruantor.

LIB. III. FINIS.